



**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

De quinque motiuis abstinendi am omni peccato mortali, quia per hoc expellitur ex anima Deus, amittitur ius ad vitam æterna[m], conspurcatur anima magis quàm corpus omnibus sordibus & fæditatibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

Religiosi, plus illud detestantur, quam infernum, & mallent detrudi (in gratia Dei existentes) ad infernum, quam perdere Dei gratiam, quam quoduis peccatum mortale ex anima excludit. Quando autem dico vitanda esse peccata mortalia, duo intelligo. *Primo*, completa peccata mortalia, quæ fiunt cum plenâ deliberatione. *Secundo*, etiam illa verba vel facta, quæ non attingunt quidem culpam peccati mortalis, quia procedunt ex primo motu iræ, & sunt indeliberata, habent tamen speciem peccati mortalis. Talia sunt iurare per Sacramenta, imprecari alicui tonitrua vel mortem, aut aliquod aliud infortunium, affirmando aliquid, affirmare illud, per animam, vel in conscientia, vel ut me diabolus rapiat, vel per Deum, & his similia, quia etsi non sint iuramenta, dum non est intentio iurandi, sed simplex asseueratio, tamen horrent pie aures talia, & omnino etiam à talibus abstinendum est.

CAPVT NONVM.

De 5. Motiuis abstinendi ab omni peccato mortali, quia per hoc expellitur ex anima Deus, amittitur ius ad vitam æternam, conspurcatur anima magis quam corpus omnibus sordibus & feditariis abominandis, & fit diaboli mancipium.

103. **P**rimum motiuum. Per minimum peccatum mortale, etiam solâ cogitatione, etiam solo voluntario oblectano aspectu commissum, expellitur ex anima Deus, qui antea in ea habitabat tanquam sponsus eius, illam tenerimè amans, & in ea inhabitans tanquam in suo domicilio sibi carissimo. Qui enim sine peccato mortali est, in gratia Dei, est diuina consors naturæ, ut ait S. Petrus; & per bona opera ac vsum bonum Sacramentorum, crescens in gratia, illamque in se augens, (vt loquuntur S. Paulus Apostolus, & SS. Ignatius & Cyprianus Martyres) promeretur Deum, proinde peccando mortaliter, non tantum perdit gratiam Dei (quæ est donum creatum supernaturale, inhaerens in anima) sed perdit ipsum Deum quem substantialiter & personaliter intus in anima sua inhabitantem, tanquam amicum & sponsum habebat, vt docent Theologi cum S. Thoma & SS. Patres, quos citant. Si haberes aliquod monile aureum, geminâ vel pretioso aliquo lapide insignitum, valoris saltem mille aureorum, & scires te aliquo commisso peccato mortali priuatum iri tali monili, nunquam peccares mortaliter. Ergo peccando mortaliter, plus facis tale monile, quam Deum, quem peccando perdis: cum tamen, vt dicitur Sapientie 7. 8. 9. exemplo Sapientis, proponendus sit Deus, regnum & se-

2. Pet. 1. 4.
Hebr. 13.
16.
Ign. ep. ad
Roman.
Cyp. de
vau. Eccl.

Tb. 1. p. q.
43 a. 3. &
6. & q. 38.
a. 8.
Suar. l. 12.
Trin. c. 5.
nu. 12. &
seqq. Val.
Valq. Cor.

dibus, & diuinita nihil sint duenda in comparatione illius, nec comparandus sit illi lapis pretiosus, & omne aurum in comparatione illius, sit arena exigua, & tanquam lutum estimandum sit argentum, in conspectu illius. Quomodo ergo comparebit in iudicio Dei peccatis mortalibus deditus, quando ei exprobrabitur & à diabolis, & ab Angelis, & ab ipso iudice Deo, quod plures fecerit aurum quam Deum? O ingratus & stulte peccator! An parum est tibi, vt ait S. Augustinus, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum? Quid ergo tibi de his que fecit Deus, sufficit, cui Deus ipse non sufficit? imò cui Deus displicet? Displicet enim illi, quæ mortali quouis peccato expellit à se, & se à Deo magis & magis elongat.

Secundum motiuum. Quouis peccato mortali, perditur ius ad hereditandam vitam æternam & regnum cæleste, quod homo assequeretur post mortem, si moreretur in illa gratia sanctificante animam, (quæ illud ius confert intrinsecè) & verè inhaerente in anima. Cum autem tale ius sit longè maius iure, quod aliquis haberet ad hereditatem regni alicuius, aut saltem ad hereditatem magnam certi dominij, imò quam ingens dominium possessum, habens reditus multorum centenorum milliū aureorum, quotannis percipi solitorum, imò cum bonum gratia vnus (minus iure ad vitam æternam) sit maius bono nature totius vniuersi, vt docet S. Thomas, sicut si talis dominij possessione, se post commissum peccatum mortale sciret priuandum ab aliquo malo vicino vel hoste, vel illud dominium ab eo funditus delendum & annihilandum quodammodo, ob illud peccatum mortale, nunquam illud committeret, & si committeret extremè tristaretur & doleret, & præ dolore somnum capere non posset: ita multò magis abstinere debet à quouis peccato mortali, & dolere debet quilibet eo commissio, quia per illud perdit gratiam, & ius ad vitam æternam & regnum cæleste, quod est maius bonum quam omnia dominia & regna huius mundi. Ideo S. Thomas Aquinas mirabatur, quomodo posset aliquis esse lætus in peccato existens mortali. Meritò mirabatur, quia homines ob minorum rerum iacturam, quam sit iactura Dei & gratiæ eius, tristantur valdè, & quandoque ita tristantur, vt præ tristitiâ moriantur, & aliqui propriis manibus sibi mortem inferant. Ideo magni Sancti, qui etiam sciebant remissa sibi à Deo peccata, illa perpetuò desebant. Dauid, etli certior factus esset à Nathan Propheta de condonatis sibi peccatis, tamen dicebat: Peccatum meum contra me est semper. Et, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et Ezechias: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Oportet enim, inquit S. Chrysostomus, recordari nos propria delicta, etiam ea pro quibus veniam consecuti sumus, (per Confessionem Sacramentalem) vt insuauentes quod ingen-

104.
Conc. 3. in
Psal. 30.

105.

1. 2. q. 113.
a. 9. ad 2.

106.

2. Reg. 12.
13. Psal.
50. 5. Pl. 6.
7.
Psal. 38. 15.
lib. 2. de
compunct.
cord. in fi.
ac.

rem molem debiti nobis remisit Deus, & amplius eum diligere possumus; & verecundiam pudoremque concipere, atque ex his corde compungi, considerantes, quod nisi miseratio illius nobis subvenisset, tantum illud peccatorum pondus, sine dubio in unis nos inferni supplicii pressisset. Sic, ait ibidem, Paulum Apostolum videmus ea, que iam abolita fuerant & deleta, adducere tamen in medium, & cum culpam (mortalem) de presentibus non haberet, tamen quoniam recordationes peccatorum & luctum gemitumque sciebat anima produsse; etiam illa commemorat, que (non per maiestatem, ut nos peccamus) per ignorantiam commissa, gratia Baptismi, & confessio vera fides aboleatur. Imitemur eum.

107. Tertium mortuum. Quoduis peccatum mortale ita conspurcat animam, & fœdam ac fœtentem reddit coram oculis Dei, ut non sit vlla spurcicia in hac vita, nulla sordes, nulli fœtores, nulla cloaca, tam abominabiles & fœtentes, ut est quoduis peccatum mortale. Hinc Deus quandoque miris modis ostendit seruis suis hanc peccatorum mortalium fœditatem. S. Catharina Senensis vidit Angelum nares obdurantem, & fœtorem cuiusdam personæ; peccatis contra castitatem commissis inquinatæ transeuntis. Idem vidit alius quidam Alceta. Et S. Francisca Romana, habens presentem aliquam personam peccato carnali conquinatam, ad eò vehementer percipiebat fœtorem ex illa procedentem, ut cogitur in aliam partem convertere faciem, & quod quis magis hoc vitio esset infectus, eò maiorem sentiebat fœtorem. Et cum aliquando cogere tur transisse domos in quibus habitabant meretrices, adeò vehementer terro fœtore percellabatur, ut pene semimortua remaneret, & ad defectum inde virium perduceretur. S. Philippus Nerijs quoque, ex fœtore quem sentiebat, agnoscebat hoc scelere conspurcatos, dicebatque interdum illis: Tu mihi hodie fœtes: cognosce naso tua peccata, ideo his infecti criminibus, non nisi confessione mundati, ad illum accedebant, ut scribit Baccius in eius vita. Et dicere solebat, fœtorem huius sceleris tantum esse, ut nullus ei in mundo sit equalis, immò, illusione nocturna fœdatus, & ipsa animalia hac (ut ita dicam) impuritate inculpabili maculata, cognoscebat divinitus. Pulchrè declarat hanc rem S. Macarius. Sicut, inquit, carnes, nisi sale aspergantur, corrumpuntur & grauitè olent, ita ut omnes auertantur illum pessimum odorem, vermesque subreptim in carnes corruptas, & ibi aluntur, & nidificant: eodem modo & omnis anima, que non fuerit condita Spiritu sancto, nec fuerit participes celestis salis, hoc est virtutis Dei, (id est gratiæ, que excludit quoduis peccatum mortale ex anima) computrescit, & multo prauarum cogitationum fœtore plena est, ita ut auertatur facies Dei ab illo graui odore vanarum & tenebrosarum cogitationum affectionumque qua in huiusmodi anima nidificant, & noxij atque improbi vermes (qui sunt spiritus nequitie, itidem & potestates tenebrarum) in illa deambulant, illic pascuntur, ni-

dificant, & repunt, illamque exedunt & corrumpunt. Interroga conscientiam peccatoris, inquit S. Ambrosius, nōne grauius fœtet omnibus sepulchris: & S. Hieronymus: Cadaver, ait, diaboli putridum, ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fœtidissimum, ipso peccatore dicente: Computruerunt & corrupta sunt cicatrices meæ, à facie insipientia meæ. E contrario, virtus, boni odoris est. Nec mirum. Cum enim quæuis peccata, sordes sint, ut ait S. Gregorius Nyssenus, & morbi elephantici atque lepræ animarum, ut ea appellat S. Basilijus, & sordidam reddant animam, & sint sanies reliquum depopulans, ut dicit S. Ioannes Chryostomus, non mirum est, quod fœtentem reddant hominem. Si scires te habere faciem sordibus valde fœtentibus conspurcatam, & comparandum tibi esset in publico, vel coram Rege, immò in schola inter condiscipulos, hanc faciei fœditatem & fœtorem magnum percepturos, nullo modo (si id in tua esset potestate,) hanc modo te alijs aspiciendum præberes, sed aboleres subito talem maculam: Quomodo ergo audes committere adeo fœtentia peccata, & commissio vel vnico mortali peccato, præsertim impuro, comparere coram Deo vbique presente, & magis detestante quamuis maculam peccati mortalis, quàm homines detestentur spurcicias & sordes rerum summè fœtentium? Si certò scires, post commissum etiam semel peccatum mortale, præsertim contrarium castitati, ob illud habiturum te faciem deformem, corrosam à morbo, & plenam sanie & vlceribus, oculos inuertos, nasum abscissum, os semper hians, linguam semper exerta, caput capillis denudatū, aures similes afininis, certè abstineres ab omni peccato mortali. Cur ergo nunc nō abstines, cum quoduis peccatū mortale fœtorem reddat animam, quàm esset tua facies ita ut dictum est, deturpata? Nunquid non meretur Deus, ut tam acceptus coram eius oculis compareas, ut vis & soles comparere coram oculis hominum: Cum tamen ut ait S. Iob, Oculi eius carni non sunt, nec sicut homo ille videat. Quocirca S. Chryostomus, cum suos auditores hortatus fuisset, & rogasset, ut prius confessione ac penitentiâ aliisque remedijs omnibus, sese à peccato ex Theatrico spectaculo contracto perpurgarent, atque ita diuinos sermones (id est conciones,) audirent, subdit: Neque enim hic mediocriter à nobis delinquitur: (si scilicet aliquo peccato graui fœdatus accedat ad conciones in templo audiendas) idque hac similitudine declarat: Nam si famulus in arculam, vbi herilia vestimenta pretiosa, aureaque recondita sunt, seruillem tunicam sordibus ac multis pediculis resertam imponat, age dic mihi, num eam contumeliam æquo animo ferres? Quid autem, si quis in vasculum aureum, in quo semper vnguenti a seruari consueuerint, stercus aut caninum infundat, an non ei plagas infligeres, qui scelus hoc commisisset? Et post hæc scrimiorum ac vasorum, vestium ac vnguentorum tantâ curâ sollicitabimur, animam

l. i. Offic. cap. 12. lib. 6. in I. i. c. 1. 4.

108. in Psal. 61 in c. 1. I. i. ep. 7. ad Olympi. ad. & h. 10. de pecc. nit.

109. Iob. 10. 4. hom. de peticulis peccat.



mam verò nostram, omnibus istis viliores esse putabimus: dic mihi quo animo ista feret Deus? atqui non tantum est discrimen inter rugentem ac canem, inter vestes serules ac heriles, quam est inter Spiritus gratiam, & peruersam actionem: ob quã ut ait S. P. N. Ignatius, homo fit tanquam quoddam vlcus sive apostema, ex quo sanies peccatorum & lues desluit.

Exer. 2. de peccatis puo. c. 3.

110.
de fuga. Eph. 2. 1. 1. Tim. 5. 6. Ezech. 18. 20. Aug. 1. 22. c. 6. & in Psal. 47. Bas. or. in Iul. lit. mart. Bet. 5. 81. in Cant. Coloss. 1. 13.

111.
hom. 30. ad pop. hom. 13. Exhort. ad baptif.

112.

hom. 13. Exhort. ad baptif.

114.
dial. c. 38.

Quartum Motiuum, Vitandi peccata mortalia est: quia illa committens, propter vnum solum commissum fit mancipium diaboli. Peccator, inquit Tertullianus, traditur diabolo quasi carnifici in penam. Cùm enim quoduis peccatum mortale excludat gratiam ex anima, & vt Paulus Apostolus & Ezechiel Prophetæ loquuntur, anima per illud moriatur Deo, (est enim mors animæ, vt ait S. Augustinus & S. Basilus & alij SS. Patres) Deus illum tradit diabolo, tanquam Iudex iustus, vt sit eius mancipium. Ideò liberatos à peccato per Deum, Apostolus dicit: Ereptos de potestate tenebrarum, & translatos in regnum filij eius; Et quidem peccans mortaliter, fit possessio diaboli, peius quã fiãnt energumini à diabolo obfessi; in energumenis enim, si sint in gratia Dei (vti sunt omnes qui non habent in anima peccatum vllum mortale) non habent vllam potestatem in animam, sed solum corpus vexant, permitte Deo, at in eorum animas, qui sunt in peccato mortali, diabolus verè habet potestatem tanquam in mancipium suũ, quod possidet, quo de ei seruit, quòd excidit ex catalogo filiorum Dei, quòd perdidit ius ad vitam æternam, & destinatum est ad pœnas æternas, ad quas non detruditur, quia adhuc viuít in corpore, & quia Deus nondum edidit vltimum decretum æternæ damnationis, quòd non promulgat nisi mortis tempore. Et ideò S. Chryostomus dicit: Peris est peccare, quã à demone obfessum esse: & S. Basilus ait: peccatorem esse deteriorẽ energumeno, ideo qui demonium patitur, misericordiam inuenit, qui autem peccat, odium sibi contrahit. Quocirca si certò scites te propter peccatum mortale commissum, statim fore energumenum, omnino abstinere ab illo, ita cùm peccans peior sit energumeno, iudicio Dei & Sanctorum, debes abstinere ab omni peccato mortali.

Quintum Motiuum, Quia per quoduis peccatum mortale anima in oculis Dei & Sanctotũ fit horribilissima, vt ita dicam, & summè abominabilis, & si videretur ab hominibus, dum est in peccato mortali, non possent eam videre, quin præ horrore & pauore statim moterentur; causa est, quia vt ait S. Basilus; Magnus demon est peccatum. Dæmon autem ob peccatum etũ leuius quã sint nostra peccata (vt paulò post ostendam) est tam turpis, tam fœdus, tam horribilis, vt Deus Pater dixerit S. Catharinæ Senenli: Bene recolis quando demonem semel in forma sua tibi monstrauit, quasi per ictum oculi, postquam ad sensus corporeos restituta fuisset, tu potius eligebas ire

per vnam viam igneam vsque ad diem iudicij duraturam, quã amplius eum intueri. Nihilominus licet eum videris in breuissimo spatio temporis adhuc ignoras quantum est horribilis. Et ideo ibidẽ Deus Pater ei reuelauit, damnatorum in inferno, vnam inter ceteras pœnam esse, aspectum demonum: & eo, omnem eorum cruciatum mirabiliter augmentari atque duplicari. Et alia vice Deus Pater eidem S. Catharinæ dixit: Tu nosti, quòd est in tantum horribilis demon, quòd homines experti, eligerent potius habere omnes pœnas vite presentis, quã eos in sua figura videre. Et S. Francisca Romana, potius elegerit inflare in fornacem ardentem, quã videre malignum spiritum, prout illum videbat in diuersis formis. Immo S. Catharina Genuenlis, viso diabolo, dixit: Fuisse sibi talem aspectum intolerabilem, non propter metum diaboli, sed propter odiosam repugnantiam, ita intolerabilem, vt se mallet in infernum demersam, quã sustinere visionem tam deformem, tam distortam, & animæ suæ optime ordinatæ ac per omnia cum Deo concordanti, abominandam. S. Antoninus in Historia refert de religioso quodam, qui reuocatus ad vitam, affirmabat se malle tranfite per mundum aliquem ardentem, quã iterum demonia deberẽ conspiciere. In speculo exemplorum scribitur de quodam religioso, qui idcirco, quòd aspexisset dæmonem, quali in infamiam conuersus, horribili cœpit voce clamare: Maledicta hora in qua religiosus factus sum. Et colligitur ex Scriptura ab effectis. Meritò ergo S. Chryostomus scripsit, dæmonem ob vnum tantum peccatum, adeò esse horribilem, vt, si Deus illi permitteret, formidabilem illum suum & horrendum aspectum nobis ostendere, continunde dimoueremur, & solutus artuum compagibus euolaret animus è corpore. Cùm ergo quilibet peccans mortaliter, sit demon incarnatus (sic eum enim appellauit Deus Pater coram S. Catharina Senenli) immò, cùm peccatum, vt ait S. Chryostomus, demone peius sit, magis est fœdus, & horribilis, & abominabilis peccator propter peccatum, quã dæmon, ac proinde si posset homo videri existens in peccato mortali, multò magis mallet eum licet momentaneè videns, eligere omnes pœnas huius vitæ, & ire per viam igneam vsque ad diem iudicij, & repente mori, quã diutius talem aspectum ferre, immò mallet potius in infernum demergi, vt dixit S. Catharina Senenlis, quandoquidem est peior dæmone, si posset per solas pœnas inferni, sine diaboli visione, liberari à visione hominis, quamvis vno peccato mortali coinquinari.

CA.